



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXXIII. De S. Siluestro Papa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

quam olim in grauiſſima illa totius Africæ peſtilentia ſubditis ſuis, immò & gentilibus exhibere dignatus fuit. Neque dubium quin pro adaucta ſibi caritate, rautiùs quoque eandem nobis impartietur.

C A P. X X X I I I.

De S. Silueſtro Papa.

SANCTUM Silueſtrum Romanum Pontificem, & magni Constantini in Chriſto patrem, etiam inter ſanctos hoſce Tutelares alibi poſitū video. Cauſam indagauī, nec occurrit alia niſi quòd in Actis eiufdem legatur, eum, draconem peſtiferum, qui venenato ſuo halitu ciues Romanos enecabat aërem inſiciendo, obſignatis ſigno Crucis æreis, quibus ſpecus claudebatur januis, perpetuo ergaſtulo mancipaſſe. Deprauata quidem in pluribus ſunt nec vbiq̄ue ſincera veritate ſuffulta eius acta, vt ipſe etiam libenter fatetur Baronius: Hiſtoria tamen iſta de dracone complures habet Latinos pariter ac Græcos aſſertores. Ex quibus antiquiſſimus & eruditione clariffimus Venantius Fortunatus Epicoſopus Pictauienſis, qui vixit ante mille & ferme centum annos, in rebus geſtis ſancti Marcelli Epicoſopi Pariſiorum, dum agit de immani ſerpente ab eo ſuperato, eundem Silueſtro Romano comparat, quòd ſicut iſte draconem ſigillauit, ita Marcellus jaçtauit. Inter Græcos præter Cedrenum & alios, Metaphraſtes eiufdem rei aſſertor eſt.

Sed

Sed quòd omnes afferant eiusmodi serpentem apud Romanos sacrosanctum fuisse, in memoriam reuocant, ex Epidaurò olim in urbem legatione publica allatum ad pestem euertendam serpentem Æsculapium. Nam Romanis in Epidaurum profectis tempore pestilentiae, vt Æsculapium Romam portarent, serpens grandis nauem ingressus est, quem illi Deum Æsculapium esse rati, secum duxerunt, atque in eius honorem insigne templum in insulâ Tyberi construxerunt. Quem Plinius Lib. 29. c. 4. testatur licet tot intercurrentibus sæculis suo tempore adhuc fuisse superstitem, vulgoque in domibus esse pastum, ac nisi incendijs semina exusta fuissent, non potuisse foecunditati ipsorum resistere. Sanè quidem eius colubri quem Romani colerent cellam fuisse ad extinctionem superstitionis obfignatam à sancto Siluestro, per facile est creditu, inquit Baronius, an. 315. cum post hæc, nulla eius extet memoria, nisi quòd gentiles Deo suo carere nolentes, quem fame extinctum nossent (nam Festus ver. in sul. Æscul. canis vberibus solummodo nutrirì consueuerat) ex ligno aliãve materia alium fabricarunt, gladium ore gestantem, oculis rutilantibus gemmis metuendum atque terribilem, eidemque pariter in specu collocato, deuotas virgines floribus exornatas eo modo in sacrificium offeriebant, quatenus insciã munera deferentes gradum scalæ, quo fraus tegebatur, contingentes, impetus venientes gladij perimeret. Quod sic mansit vsque ad Honorium Imperatorem gentilitate nondum penitus extirpata. quando iterum per sanctum Monachum impostura detecta, ipsoque confracto serpente, caruere penitus superstitionis alumni auito suo Deo. Rem Prosper. de præd. par. 3. gestam S. Prosper, quæ accidit Romæ suo tempore, narrat. Ut planè liceat intueri, draconem illum viuentem à
Siluestro

Siluestro extinctum; cuius imagini tamquã viuenti eiusmodi virginum deuotione ministraretur. Nam & eãdem Siluestri victoriam magis confirmat, quod eius imagines in Ecclesijs pingi solitæ erãt cum dracone ad pedes eius vincto, sicut etiamnum hodie pingitur. Cæterum tum Romæ tum in alijs prouincijs sæpè immanes colubros fuisse conspectos, eosdemque à sanctis viris necatos abunde testantur antiquæ Sanctorum historiæ aliæque vetera monumenta. Ac nominatim de S. Donato Episcopo Euoreæ in Epiro, narrat Zozomenus draconem ingentis magnitudinis (cui videlicet extincto extrahendo, octo juga adhibenda fuere) homines & animalia quæcumque rapientem, eum solo signo Crucis digito aduersus eum in aere inscripto & sputo in os eius iniecto confecisse. Et de S. Quirino presbytero, ac S. Nicasio Episcopo socijs S. Dionysij Areopagitæ refert Molanus, quod in oppido quod Vallis dicitur in Gallia, S. Quirinus cum stola B. Nicasij præmissis Crucis signo pestilentem draconem domuerit, qui fontem & aerem vitiabat. Sanctus Nicasius autem ad se adductum draconem repetito signo Crucis dirupit, & ad eundem fontem circiter trecentos octodecim in Christi militiam ablutos ascripsit. Sanctus Arnandus Ogium insulam similiter à serpente pestifero, per signum Crucis liberauit cum quo sub pedibus pingitur.

41 Octob.
in natal.
SS. Belg.